



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

18. S. Felix Confessor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Felicis ex SS. Ordine
Capucinatorum, Fratris amore, &
spiritu Dei abundantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Felicia, mi fili! optamus vivere, &
videre tempora! Habebimus, si
cum S. Felice, contempto sæculò, so-
lum quæramus, & diligamus Deum. Ri-
sit vir humilis ad hominum risus con-
tentus Dei gratiâ, & purâ innocenti con-
scientiâ. O nos infelices! Si aliter vixe-
rimus.

Instructio meritoria.

Malas cupiditates, & inordinatos ap-
petitus ad res mundanas, & transitoria
vincamus hodie sexies orantes Psalmum:
Deus in adjutorium meum intende.
Cum 12. Pater & Ave, ac diurnâ tesserâ:
Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

II.

S. Felix meruit in suum recipere sinum
Dei Unigenitum, à Maria ad am-
plexus oblatum. Quantus favor. O fi-
li! Et hic unde? Dicam: Sed ad no-
stram doctrinam, & S. Felicis prom-
ptam

ptam imitationem, atque sequelam
Omnes Mariæ Vigiliis solo pane trans-
egit, & aquâ. En! dum jejunat ho-
mo, reficit, & suâ recreat præsentis
Deus.

Instructio meritoria.

Sabbathino assuescamus jejunio, & in
profestis non obliviscamur Mariæ. Ho-
die ut illius amor, & cultus crescat in
orbe universo, recitemus Casimiri Can-
ticum: *Omni die, dic Maria &c.* Je-
junet corpus, ut pinguefiat anima.

III.

S Felix tria nos hodie docet, quæ &
suo commendavit dilecto socio.
Videlicet: Coronam Mariæ portare in
manibus, oculos defigere in terram,
mentem elevare ad Deum, & coeli pala-
tium. Quod docuit Felix, id & suis
præstitit exemplò. Quid mirum, si &
moriens à Deipara invitatus sit ad sidera.
Præivit: curramus, doctrinam observe-
mus! Sic comprehendemus.

Instructio meritoria.

Commendo praxin à S. Felice datam
Et ut sæculo mortui ambulemus cum
Deo.

Deo, recitemus Psalmum : *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!*
cum uno S. Rosario. Sit mens, ubi Deus.

Festum S. Petri Cœlestini SS.
Ordinis Patrum Cœlestinorum Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! Quomodo primos cœpimus annos? Fuitne & nostra cum S. Cœlestino parellula prima : *Volo esse bonus servus Dei.* Si non : Hodie ut simus, fatagamus, despiciendo servitutem, quam impium sæculum suis injicit asseclis. Servire Deo præstat; quia semper lætabimur in eo. Dominus est! Quis non ministret?

Instructio meritoria.

Servitutem ut SS. Trinitati probemus nostram, duodecim actus fraterni amoris exerceamus reflexè, quibus & jungamus Canticum : *Confitemini Domino, quoniam Bonus; quoniam in seculum Misericordia ejus.* Liber est, qui pro Dei, & proximi vivit obsequio.

II. S.